

40 tudine periculi major, vel minor appellatur. Atque necessitas absoluta, si periculum nullo alio modo evitari potest, quam lege violata, & respective, si alius quidem homo, at non hic homo, qui in illo versatur, declinare queat.

41 His notatis, videndum nunc quinam sit favor necessitatis.

42 Leges vel sunt divinx, vel humanæ, æque vel agentis, vel negantes. Porro leges humanæ regulariter intelligendæ sunt cum exceptione necessitatis.

43 Idemque dici debet de legibus divinis agentibus, nisi forte intermissio actionis ita sit comparata, ut tendat in injuriam Summi Numinis; tunc enim simul concurrunt lex negans, quod nihil in Dei ignominiam sit faciendum. Quo refertur factum *Danielis*; *Dan. VI. 10.*

44 Leges divinx negantes, vel respiciunt ipsum Deum, vel nos ipsos; vel alios homines. Exceptionem necessitatis minime admittunt leges negantes, quæ Deum respiciunt; nec aliud dicendum de legibus negantibus, quæ respiciunt nos metipsos. Quod vero attinet ad leges negantes, quæ alios homines respiciunt, si necessitas sit à Deo, admittunt eæ exceptionem necessitatis, si de conservatione nostri ipsius agatur, non item si de perfectione nostra, ac felicitate tuenda, & amplificanda.

48 Sin autem necessitas sit à malitia hominum; aut illi agant, ut pereamus, aut ut necessitatem peccandi nobis imponant. Priori casu locus est favori necessitatis, nequaquam vero posteriori.

49 His perpensis regulis facile erit judicare de favore necessitatis in casibus particularibus; vide tamen, qui de his latius agunt, *Thomasium Jurisp. divini lib. 2. cap. 2. §. 130. & seq. Tit. ad Puffendorf. de offic. hom. & civ. observ. 141. Barbeyrac. ad eundem Puffendorf. de jur. natur. & genti. not. 5. & plur. seq. aliosque.*

NECROMANTIA.

Vide verb. Superstitio, num. 15.

NEGOTIA AD ECCLESIASTICOS pertinentia.

In ditione Pontificia pro negotiis ad ecclesiasticos pertinentibus in publicis consiliis quoruncumque locorum, deputandi sunt duo ecclesiastici, unus ex Clero seculari, alter ex regulari, & ambo è seculari, si desint regulares, interpellandi toties, quoties pertractandum est aliquid ad ipsos pertinens, ut intersint in fisdem consiliis cum suffragio consultivo dumtaxat: cum facultate tamen recurrendi, si laici contrarium resolverint; si vero neglexerint interesse, non inde invalidum erit quidquid in dictis consiliis decretum fuerit. Vocandi sunt etiam quando redditur ratio expensarum, quæ ab istis ecclesiasticis tolerantur, eisque communicandi in loco designato à Gubernatoribus, non retrahendi libri computorum, cum facultate pariter recurrendi ad superiores, si quid iniustum in illis deprehenderint. Sic statuit *Benedict. XIV. 29. Jul. 1572. const. incip. Quamvis*; *(Vide verb. Clericus.)*

NEGOTIATIO.

Negotiatio an, quomodo, & quando sit prohibita, vel non, Clericis, & Religiosis, vide verb. Clericus art. 3. per totum, ubi late de omnibus.

2 Negotiatio Clericis interdictur, etiam sub alieno nomine; *Benedict. XIV. tom. 1. const. 13. incip. Apostolicam*: Et ubi hæreditario jure, aut aliis eos delata fuerit, dimitti debet; *idem ibid. §. 2.* Quatenus continuari possit ad tempus, vide *tom. 2. verb. Clericus art. 3. in fine*, ubi datur summariæ dictæ constitutionis.

* Constitutiones adversus Clericos negotiatores innovantur, & extenduntur ad Clericos etiam sub laici nomine quomodolibet negotiantes. *Benedictus XIV. const. inc. Apostolica servituti tom. 1. Bullar. n. 18.*

Extenduntur item ad negotia à laicis inchoata, deinde ad Clericos devoluta, sive hæreditario jure, sive quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communitè, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, coheredibus, vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi Clerici, qui per seipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos coheredes, ac socios negotium exercent.

Hos omnes subjicit Pontifex quoad bonasie ab eis acquisita pœnis in constitutione Pii IV. quæ *inc. Decens esse*: quæ est 19. inter Bullas ejusdem Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis Camera Apostolice comprehendantur.

Si qui vero exempti sunt à pœna spoliatorum ex constitutionibus Pii IV. *Romanus Pontifex*, & Pauli V. *Invenienti*, illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatione provenientia decernit, atque declarat in cit. constitutione *Apostolica servituti*.

Negotiatio tempore impropria non est Clericis interdicta, ut ex gr. manuum suarum labore, & honesto officio victum sibi comparare, quod à Apostolo Paulus suo exemplo docuit, & à SS. etiam Monachis præstitum est. *De synodo diacon. lib. 7. cap. 49. §. 2.*

Licitum est etiam Clericis vendere res collectas ex propriis prædiis, sicut & eas, quas coemerunt ad familiæ suæ sustentationem, quæ si superflua, vendere possunt carius, quam emerint, intra limites tamen justæ pretii. *Ibid.*

Plura si cupis, vide *tom. 2. verb. Clericus, art. 3.* ubi fuse de hac re tractatum est, atque sub *num. 91.* adducitur novissima constitutio Clementis XIII. merito observanda.

NEOPHYTI.

* NEOPHYTI ad SACROS ordines non sunt promovendi, nisi prius de eorum constantia in vera nostra Fide constiterit. *Concil. Nicænum Canon. 2. ibi: Nam, & tempore opus est ei, qui catechizatur, & post Baptismi probationem quàm plurima.* Et in *Canon. 3. Arabico*, ab Echeleni edito, ibi: *Quicumque recens baptizatus fuerit, cujus Fidei adhuc non dignoscitur experimento certitudo, ne Episcopos, aut Presbyters, aut Diaconos ordinetur.* *Benedict. XIV. de synodo diocœsana lib. 7. cap. 65. n. 6.* Ubi subiungitur, quod ad id dignoscendum quantum temporis requiritur, est incertum, cum nullum de hac re sit certum tempus à jure definitum, adeoque ut voluit Covarrubias, & Gibalinus de *Irregularitate cap. 3. q. 3. & alii*, videtur id relinqui arbitrio, & prudenti Episcopi serio expendentis mores & constantiam in fide jusque Neophyti.*

NOVUS ARTICULUS.

Hujus novissimæ editionis à Theologo concinnatus.

Nihil habet Ferrariana Bibliotheca in articulo *Neophyti*, præter duo, eaque sane non magni momenti, ab opere de *synodo diocœsana* *Benedicti XIV.* excerpta, etiam multa ad Neophytos spectantia, notatu dignissima occurrant, quæ suum plectum in hac referentissima bibliotheca occupare merentur. Quapropter integrum articulum adlabore statui, in quo nonnulla haud contentenda indigite pergam.

Neophytus à duplici græca dictione Neon & Phytos, nova planta, idem est ac recens constitutus. Sumitur pro eo, qui nuper ecclesiasticum statum amplexus est, vel Religionem est ingressus. Communius tamen per Neophytum intelligitur ille, qui recens ab infidelitate statu egressus, sacris Baptismatis undis est regeneratus.

Isti sunt novæ plantationes in domo domini, quas semper maximi fecit Ecclesia, nunc vero, proh dolor! illi qui olim vocabantur (ut verbis utar auctoritatis sermonis olim inter Augustinianos 157. de tempore, num. 172. in *Appendice*) *novella germina, sanctiæ regnerata ex aqua & spiritu, germen pium, examen novellum, flor nostri, honoris & fructus honoris, gaudium & corona mea*; adeo sunt vulgo despecti, & abjecti, ut fortasse inter maxime reputet injurias Neophytum quemquam vocitare, ique qui Dei gratia illuminati, superstitione relicta, christianæ Religionis nomen dedere, Dei donum occultare cogantur. *(Vide lit. H. pag. 214.)*

Privilegia Neophytis concessa à Paulo III. & à Clemente XI. confirmata, vide *verb. Hebræus tom. 4. pag. 197.*

Hæc porro, ceteraque omnia privilegia in favore Neophytorum aliis à sancta Sede emanata; Sanctissimus Dominus noster CLEMENS PAPA XII. probe sciens, infidelium conversionem inter apostolatus instituta primum obtinere locum, novissime confirmavit suo chirographo ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Nigronum Proauditorem dato die 26. Octobris 1766., in quo inter multa hæc statuit. "I. Quod in futurum, ac perpetuis futuris temporibus Neophytum Judæi, eorumque receptorie domus, Ecclesiæ, & Universitatis, ac locorum piorum annexorum in causis civilibus passivis moris, & movendis, sit Illustrissimus, & Reverendissimus D. Almæ Urbis pro tempore vices gerens. III. Quod Neophyti à quibuscumque censibus, taxisque ab artium & statuti præscriptis sint exempti, earumque artium, ac Universitatum onera atque munera subire minime teneantur, eisque solite literæ patentales gratis concedantur. V. Quod sint immunes à taxis, & licentiis tribuendis viarum cum illa amplitudine & respectiva limitatione exemptionis, quæ fuit jam declarata in decretis Congregationis particularis deputatæ à san. memor. Clemente PAPA XI. VIII. Quod dictum est pro Neophytis, intelligatur constitutum etiam pro Neophyto filii primi gradus, & pro maritis Neophytorum, filiarumque primi gradus Neophytorum."

Collegium ecclesiasticum adulescentum Neophytorum instituit Greg. XIII. causam erectionis hujus Collegii explicat S. Pont. in Bulla *incip. Vices ejus*, quæ ejus est LXXIII. tom. 4. part. 3. Bullarii, *pag. 346.* his verbis: "Ut non modo Hæreticorum, sed eorum etiam qui infidelitatis tenebris ambulantes misere pererunt, præsertim Judæorum conversionem, veramque salutem exoptare ac totis viribus querere non cessemus."

"Proinde Fidei Christianæ propagationi, & incremento hujusmodi quantum possumus incumbentes, atque tam saluti, & eruditioni eorum puerorum, & adulescentum, qui ex Judæorum, Turcarum, & Mauro-rum similitudine Mahometanorum genere nuper ad Christi Fidem conversi sunt: providere volentes, ET EX HIS PRODEANT OPERARIÆ AD OPUS EVANGELII MDONES, QUI IN IPSA URBE CETERISQUE ITALIÆ LOCIS, ATQUE ADEO IN OMNIBUS TERRARUM ORBIS PARTIBUS, IN QUIBUS JUDÆI, ET INFIDELIBUS DEBENT, CHRISTIANÆ FIDEI MYSTERIA, ETIAM PROPRIA ILLORUM LINGUA, SIVE HEBRÆA, SIVE ARABICA EXPLICARE, DOCTRE, ET PREDICANDÆ POSSINT ET VALEANT, nihil opportunitus esse censuimus, quàm proprium Collegium ad eosdem instituendos erigere."

Concedit deinde privilegia amplissima ad instar studii Generalis Almæ Urbis.

Hinc auctoria retunditur duorum Protestantium scriptorum, scilicet Jo. Christophori Wagensellii, & Jacobi Basnagii, viro-rum ceteroquin doctorum, qui Ecclesiæ Romanæ impetendæ pruritu nunquam non exacti, Apostolicam Sedem calumniantur, ac si Judæorum conversionem omnino posthaberet. Primus in præfatione ad opus, cui titulus: *Tela ignea satanae* Altorffii 1681. p. 89. hæc contumeliose eructat: "Videram Romæ illas magnificè angustasque ædes, quibus Collegium Propagandæ Fidei nomen, undè tamquam ex alveari quo-cumque terrarum provolant... pag. 91. An non per omne Turcicum Imperium; per Persiam; totamque Africam dispersi agunt infiniti Judæi informationis in-

FERR. AR. BIBLIOTHA. TOM. VI.

udigi? Sed horum quoque in gratiam quemquam Missionariorum iter aliquando ingressum esse, nunquam san-dno accepimus.... Certam tamen est nihil trigidius, & negligentius Romanæ Clerum tractare, quàm Judæorum conversionis negotium." Alter vero *Histoire des Juifs à P. Haze 1716. tom. 9. part. 2. vol. 14. pag. 546.* non minus audacter Romanam Sedem impetit.

"Quoque Saint Pierre ait été l'Aporre des Juifs, & que ces successeurs marchant sur les traces de cet Aporre, eussent donné tous leurs soins à la conversion de ce Peuple, ils ne laissent pas des les négliger beaucoup? Hæc illi, non minus impudenter, quàm falso.

"Faxit Deus, ut ecclesiasticum Neophytorum Collegium è pulvere reviviscens, juxta Pontificis institutorum mentem, fructus uberes in Judæorum, Mahumetanorumque gente producat, ut os iniqua loquentium obstruatur.

Neophytis ad fidem conversis Venetiis in loco pio catechumenorum permittitur matrimonium contrahe-cum fideliter, absque interpellatione prioris conjugis infidelitate relicti, arbitrio Nuntii Apostolici Venetiis existentis. *Benedictus XIV. const. CXVII. incip. In suprema tom. 1. Bullarii sui, pag. 483.* dummodo Præfatus Nuntio summario, & extrajudicialiter constat, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in monitione præfixam suam voluntatem significare neglexisse.

Libellum repudii non licet Judæis ad Fidem conversionem dare uxoribus in Judaismo remanentibus. Ben. XIV. *const. incipit. Apostolici XXXVIII. tom. 2. Bull. pag. 330.*

Neophytus, si repudii libellum Rabbinicis superstitionibus inveniat dedisse uxori nolenti se convertere, in eum, tamquam *judæizantem*, animadvertendum esse statuit. *Ibidem, pag. 331.*

Si autem id fecerit coram Notario, & testibus christianis; minori pœna plebendis erit. *Ibidem.*

Contingit sæpenumero, ut ex conjugibus infidelibus vir Catholicam Fidem amplectatur, uxore in sua infidelitate remanente. Disputatum non minus frequenter fuit, an uxori volenti in sua perseverare infidelitate, cogendus sit vir ad dotis munusque nuptialium restitutionem. Nulla hucusque prodiit, quod sciam; aliqua authentica hujusce controversiæ definitio. Quamobrem non abs re fore confido, si hic eam breviter ventillandam aggrediatur, ut morem geram viro mihi necessitudine conjunctissimo, qui eandem profunde examinat, mihiquæ disquisitiones suas benigne suppeditavit.

Primus, qui in prædictum viri conversi quæstionem determinavit, seu potius dubitare cepit circa contrariam sententiam, videtur fuisse Baldus junior in suo opere de *Dote*, *dissert. 21. num. 47. Sed videt, aliis dabitur, ut Infidelis puta Judæus uxorat conversus est ad Fidem, uxore remanente in Judaismo. debet rehære dotem suam.* *Statuti hi matalui sicut hæcque sunt motalui*

Eum secutus est Everhardus junior *tom. 1. contr. 36. num. 3.* ubi relata Baldi opinione, concludit: *Quam sententiam probo.* Alios fortasse, qui eidem opinioni subscriperint, recensere non erit difficile. At cum non quæramus, quid hic, aut ille senserit, si quidem summo juri ad hære, quantum fieri potest; intendimus, hinc supervacaneum esse arbitror, in aliis auctoribus perquirendis tempus insumere.

Oppositam nunc sententiam perscrutandam assumo; de cujus certitudine dubitari non posse existimo. Dico itaque, quod si casus contingat, virum infidelem Christianam Religionem amplecti, & uxorem in sua infidelitate persistere, nullatenus posse primum obligari ad dotis, munusque dotialium restitutionem. Quam quidem assertionem ita probo.

Ex Jure canonico firmum statutumque manet sequens principium, scilicet exposito in casu infidelem uxorem censeri repudiare maritum. *cap. Si infidelis 28. quasi. 21.* "Si Infidelis (inquit) discedit odio Christianæ Religionis, discedat; non est enim frater aut soror fidelis subiectus servituti: non est enim missio peccatum propter Deum, si aliæ se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui reli-

Pp 2

qui-

quatur; infidelis autem discedens & in Deum peccat, & in Matrimonio, neque est eius fides servanda conjugal, quia propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse Christianorum conjugiorum? Vides ergo ex hoc canone, uxorem infidelem illam esse, quæ discedit, & virum fidelem ab ea esse dimissum.

14 Totidem fere habet S. Ambr. 3. edit. Paris 1603. col. 366. à quo videtur canon præfatus desumptus, etsi à Gratiano Gregorio tribuatur.

15 Et ne quis patet, canonem hujusmodi nulla pollicere auctoritate, utpote qui à Gratiano dumtaxat referatur, sciat ipse velim, eundem approbatum fuisse ab Innocentio III. cap. Quanto, de divortio, ubi Episcopo Ferrariensi ita scribit: "Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Numinis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquatur, ad secunda si voluerit vota transibit; & in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: "Si infidelis discedit, discedat... & canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit jus Matrimonium circa eum qui relinquatur." (Vide tit. 10. pag. 4. præcipue leg. 3. & 7. leg. 15. & 16. tit. 2. ejus p.)

16 Unde merito notat Van-Espen tom. 3. part. 5. Comment. ad Part. II. Gratiani, pag. 206. "Sententiam Gratiani secuti sunt uno consensu Theologi & Canonistæ, quin & ipsi Romani Pontifices eam in omnibus adoptarunt, uti videre est in Decretalibus Clement. III. & Calet. III... Similiter & Innoc. III. sententiam Gratiani quoad utrumque distinctionis membrum adoptavit in cap. 7. extra, de divortio."

17 Hinc patet Romanæ eeglesiæ sententiam esse, infidelem uxorem nolentem converti, aut marito cohabitare sine Creatoris contumelia, censeri eum repudiare. Tot ratio immititur in illo Apostoli verbo. 1. ad Cor. VII. 15. discedit, ex quo concluditur Matrimonii vinculum solum ita; verum respectu solum ad fidelem qui ab uxore infideli dimittitur.

18 Quare S. Thom. in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 5. ad 3. eam perpetuo calculatui servando adstringi merito docet. Unde in panam uxoris infidelis, & indicitur quod non possit cum alio contrahere magis ex virtute Matrimonii præcedentis. Quam sententiam secuti sunt S. Bonaventura 4. dist. 37. art. 2. quæst. 2. Turrecremata in cap. Simili modo 28. quæst. 2. ad 3. arg. Basil. Pont. de matrimonio. leg. 7. cap. 48. num. 26.

19 Jam vero, cum ex dictis clare aperteque constet, uxorem infidelem in nostro casu repudiare fidelem maritum, de qua re nemo ambigere potest, quaerendum est, utrum mulier illa jus habeat ad dotem, atque ad nuptialia munera repetenda. Quod si, hujusmodi jus nendum ei denegatur, quinimmo ad dotis, munerumque nuptialium amissionem legibus damnatur, omnino certum atque exploratum erit, sæpe à nobis laudatam infidelem uxorem maritum conversum adstringere nequaquam posse ad dotis, ac donationum restitutionem. Quod autem tali pœnæ uxor virum suum repudians legibus subjiciatur, nemo nisi sit in Jurisprudentia prorsus novus, ignorat.

20 In Codice Theodosiano, edit. Gotofr. Lipsia 1736. lib. 3. tit. 16. leg. 2. de Repudiis, pag. 355. aperte statuitur: "Mulier quæ repudiavit à se dati oblatione discesserit, si nullas probaverit divortii sui causas, amittit DONATIONIBUS, quas sponsa percepit, etiam dotem primæ uxoris." Pars leguntur, leg. 8. c. lib. 5. de Repudiis tit. 17. "Nam muliersi contempta lege repudium mitemdum esse tentaverit, suam dotem, & ante nuptias donationem amittat." Vide & in Authent. Collat. 4. cap. 15.

21 Neque illum futurum fore arbitror, qui ita desipiat, ut hæc leges antiquatas esse adfirmit. Ineptæ est inquit Clar. Gotofridus Comment. in Cod. Theod. pag. 357. reorum sententia, qui hanc legem una cum superiore abrogatam tradunt Novella Theodosii XVII. de repudiis: est enim ea Novella non de pœnis injusti repudiati, ut hæc lex; Verum contra de pœnis conjugum, qui divortio causam dederit."

22 Consonant dispositionibus Romani Juris ipsa Judæorum Jura, in Mina seu Jure Civili-Canonico He-

bræorum, edit. Guglielmi Surenhusii, Amstelodani, an. 1700. part. 3. pag. 74. ubi in tractatu Chetubi, hoc est, de dotibus, & literis matrimonialibus, cap. 5. num. 7. sequens extat statutum: "Si quæ rebellaverit contra matrimonium suum, ei dimittuntur dotem suam matrimoniale septem denarios qualibet septimana.... Quousque diminet? usque ad quantitatem dotis matrimoniale." Est igitur Romanis Judæorumque legibus cautum, ut quotiescumque mulier absque legitima causa à viro suo discedit, repudium ei offerendo, dotem ceteraque dotalia munera amittat. Quo posito, ea quæ hucusque dicta sunt, sequenti ratiocinio colligo. Jure canonico decernitur, ut si quæ mulier infidelis, viro ad fidem converso, in sua infidelitate persistat, aut ei conjugi nolit, sine Creatoris contumelia, censetur ei repudium impetri, & quidem injuste, quare enim vir dumtaxat à matrimonii vinculo liberatur? At vero Jure civili non absimili modo cavetur, ut uxor repudium marito suo injure mittens, dotem & ante nuptias donationem amittat. Ergo præfata mulier infidelis reneus fidem amplecti, & marito cohabitare sine Creatoris contumelia tum dotem, tum munera nuptialia, amittit.

Duo huic doctrinae opponi possent. Primum, cui Baldi, & Evecharidi conclusio innotuit, & eo petitur, quod Judæi ad fidem amplectendam nequaquam sint cogendi. Ita Baldus loco citato: Quia propter hoc quod non velint converti, non debet perdere dotem, quia nulla cogitur accipere fidem. Cujus vestigia secutus Evecharidus, & ipse laudato loco eandem assert suæ sententiæ rationem his verbis: Præsupponit quod Judæus nullo modo ad Christi fidem, cogi aut compelli potest... nec metu amissionis honorum, vel dotis, ad fidem suam cogeret... ut bene facit Tex. in cap. Si sincera, 45. dist. ubi Dicitur Gregorius scribit, Judæos non molestari ut exactionibus ullis, sed mansuetudine, ac blandimentis ad fidem Christianam pervertendi esse.

At fallitur uterque. Quis umquam somniavit infidelem uxorem dotis amissionem cogendam esse ad fidem amplectendam, quasi dotis amissio eo tenderet, ut compelleretur Judaïsimum ejurare, non vero vice esset pœna à legibus inflicta ob denegatam viro cohabitationem? Duo namque illa in femina sunt spectanda, ideoque nunquam confundenda: perseverantia scilicet in sua infidelitate, & denegatio cohabitationis facta viro suo sine Creatoris contumelia: primum crimen Dei vindictis tribunali puniendum relinquatur; alterum vero, quod verum repudium à Jure canonico reputatur, dotis, aliorumque munerum amissione civilibus legibus plebitur.

Porro S. Gregorii textus tunc abest ut adversarium opinioni quiddam momenti superaddat, quin potius eam recta confidit. Sane S. Pontifex, cum in epistola ad Petrum Episcopum Terracinensem, quæ est 35. l. 1. Registri. t. 1. editi Bened. col. 524. tum in altera ad Cyprianum Diaconum Rectorem Patrimonii Siciliæ data, quæ est 8. Leg. 5. col. 733. aperte dicit, non esse Judæos ad fidem perducendos minis, & terroribus; sed allicendos esse mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, & etiam temporalium beneficiorum oblectamento. At addit non esse à fide repellendos minis & terroribus.

Quæro nunc in quam sententia Sanctissimi Pontificis statutum plenum suum sortiar effectum? Siquidem si contrariæ doctrina standum sit, nondum Judæus ad fidem Catholicam ejurandum non allicetur mansuetudine, benignitate, atque temporalium beneficiorum oblectamento; verum etiam ab ejuranda sua perfidia depellitur. Quis enim nesciat, quàm facile sit virum infidelem, ac præsertim Judæum, cujus iam mente vix Evangelicæ luminis splendor infidelitatis tenebras repellere cepit, à fide amplectenda deterri, si, animadvertat, fructum conversionis suæ esse restitutionem dotis, ceterorumque munerum? Adde usum obtineri apud Judæos hodiernos, ut via repudiis à lege permissis præcludatur, dotem præter modum augeri, ultra rei veritatem. Quin & ipsa mulier, quæ fortassis ex metu amittendæ dotis ad fidem alliceretur, si certa sit, ex vii conversione futurum fore ut dos ei restituatur, in infidelitate magis magisque confirmabitur.

Ad

28 Ad rem asserere juvat verba Julii Morosini Neophyti, doctrina & pietate insignis, in opere, cui titulus: Via della Fede, Romæ typis S. Congregationis de Propaganda Fide edito, anno 1684., ubi quæstione hac exagitatà tom. 2. pag. 101. tamdem pag. 1018. concludit "Confido pœne, che la Santa Sedè Apostolica, ne qualsivoglia altro Tribunale vedendo scoperti gl'inganni de' nostri avversari, ed i pregiudizii alla Santissima Religione che professiamo, permetterà, che la Sinagoga si vanti de' suoi artifizii, & ponga impedimenti efficaci alla conversione degli Ebrei, molti de' quali per quella pretensione de' Capi loro (su i donativi nuziali) temendo di perder i beni temporali, s'astengono di lasciar l'Ebraismo."

29 Prima difficultate soluta, ad secundam conveniendam jam profero. Ea autem desumi ex eo potest, quod Summæ Inquisitionis Tribunal facile sese præbeat in concedendis dispensationibus, ut vir conversus ad secundas transeat nuptias absque interpellatione conjugis infidelitatis permanentis, cum non viro suo copulari velit absque Creatoris contumelia. Quod quidem argumentum ex eo incrementum sumit, quod auctoritate roboratur celebris Ritalis Sacramentorum à Cardinali Santorrio jussu Gregorii XIII. vulgati, cujus sæpe meminit Ben. XIV. in opere de Synodo Diocesana, aliis typis Vaticanis impressi, ubi titulo, de recipiendis, & instruendis Catechumenis, pag. 127. hæc leguntur: "Uxor conversæ, si post omnem adhibitam diligentiam ad fidem venire noluerit, sed obdurata in infidelitate permanserit, dimittitur: ... Neque cum ea cohabitare, propter perniculam subversionis Fidei, & blasphemias, & contumeliam in Creatorem, nisi propter spem & certa indicia future conversionis uxoris, Prælati sincera mariti fide & stabilitate confusus, id ei ad tempus judicaverit permittendum." Hinc si sancti Officii Tribunal dispensat, ne uxor interpellatur, si de facili non est permittenda cohabitatio virum conversum inter & uxorem infidelem, ut quid pœna pleneunda est uxor in dotis amissione, quæ neque interpellatur, vel si interpellatur, etsi promittat se vivere velle absque Creatoris contumelia, non de facili ei cohabitatio cum viro suo conceditur?

Enim vero tota hæc difficultas, ut in plausibilis videatur, oculi lectu evanescit. Atque imprimis, dum ego in ea sum sententia, ut sæpe præfata uxor omne jus ad dotis, munerumque nuptialium repetitionem amittat, easuppono jure interpellatam fuisse super cohabitationem, atque eam hanc denegasse, vel si in eam inclinaverit, sarta tecta haud servare debita in Creatorem reverentia; tunc enim ipsa est in culpa (ad rem leg. 23. tit. 10. p. 3.) ipsa diverit à marito innoxio; ac proinde ipsa de sua pertinacia debitas pœnas per dotis amissionem luere debet. Quod si sine ulla ejus noxa vir eam reliquerit, tunc quæstio pristinum suum mutat adspectum, atque alia evadit. Restat igitur inquirendum, utrum dispensatio frequens à S. Officio imperita, aut difficilis in concedenda cohabitandi licentia innocuum reddat uxorem? Si res ita se habeat, status quæstionis nostræ iterum mutatur. Quod si ipsa semper culpabilis perseveret, à justa animadversione à legibus inflicta liberari neutiquam poterit.

Quænam porro causa est, cur dispensationes hujusmodi facili negotio conceduntur, & e contra cohabitatio ex se licita & debita aliquando interdicitur? Haud multum insidandum nobis est, ut eam assequamur. Etsi enim, si theoretice res spectetur, nullatenus repugnet, ut alter conjugum fidei addictus sit Religioni, altero inter Christianos coadunato, attamen in praxi res semper periculi plena visa est, ut Christianus vir cum femina infidelis ad præsentim Judæam cohabitaret. Pronitet fortasse illa, sed quidquam nunquam molituram fore, quod in Creatoris contumeliam vergere possit. Ad nunquid stabit promissis? Quis cautam fidei missionem exhibebit? Si de Hæreticis Apostolis dicere I. ad Tim. cap. 2. vers. 17. Et sermo eorum ut cancer semper; quid dicendum erit de femina erga maritum tenelle adhuc fidei, veluti modo genitum infantem? Nonne universam dabit operam blanditijs, precibus, lacrymis, ut in animæ perniciem, Deique contumeliam, si demum amplexus est: ejuret, &

ad pristinum vomitum revertatur? Hæc quotidie vidimus, & utinam non videremus, etiam tunc cum uxor maritum in sua conversione comitatur.

Demus autem & in praxi, uxorem Judæam viro converso copulari posse; si merum Judaïsimum proficitur, legem scilicet mosaicam. At si præter Legem Moysis, Rabbinismus sequatur, Talmudistarum instituta venerit, qui fieri potest, ut ei cum viro cohabitare indulgeamus? Nemo in Talmudistarum theologia, nisi sit juvenis, ignorat sanguinariam virulentam, atque detestandam legem, qua tenetur unusquisque Judæus interimere quemcumque, qui Judaicæ superstitiois valedicens, Jesu Christo vero Deo nomen dederit. Huic legi præcipue uxor adstringitur. Et ne quis me Sycophantam arbitretur, nefarias eorum decisiones, prout in eorum libris jacent, hic accipiat: Talmud, Tractatu Avola Zarâ, fol. 26. lin. ult. hæc habet: Gentiles, Pastores animalium minorum; non sunt extrahendi de puteo (si in illud inciderit) nec precipitandi; at hæretici, & calumniatores, & Americumadin (i. e. Apostatæ seu Neophyti) sunt precipitandi, & non extrahendi. Hinc Maimonides cap. 4. num. 16. Halachoth Rozeach, hujusmodi præceptum inhumanum tradit: Præceptum est occidere Israelitas illos qui Legem abnegant & Prophetiam. Si est in manu ejus vis ad occidendum eos in gladio, publice occidet; alia veniat super eos prætestibus donec occisionis eorum causam quæserit, &c. Vis plura? En alter Rabbinus non minus Maimonide celebris. Is est Isaac Abravanel cap. 5. Libri, de capite Fidei, p. 22. versionis Cl. Vorstii edit. Amst. 1638.

Vide, inquit, verba Rab, quæ scribit sub fine articulo in his verbis, &c. Qui non credit cultibet istorum articulorum, prout aquam est, & jam exclusus est à communione Israelis, atque negat radicem (hoc est fidei fundamentum) & vocatur hæreticus, aut Epicureus, atque excitor plantarum (id est Judaïsmi abnegator), ac tenetur homo hujusmodi odio prosequi, ac abominari, atque perdere eum. Et justa hoc dicitur, Ps. 139. 21. Nonne essores tuos odi, Domine? Et ne muliercule ipsæ mandatum hoc satanicum ignorarent, anno 1654. seu potius anno 1672. editus est Venetis Libellus inscriptus: Sepher Emeth, Veenuab à R. Isaac Aruvus, hæbraice atque italice editus, in quo eadem beneficia doctrina, idemque micidiale præceptum Neophytos interimendi clare enucleateque firmatur. Ita enim habet p. 127. post relata Abravanelis verba; è precepto di oddiarlo è di perderlo, è su lui fu detto già: quei che odiano te, è Signore, odierò. Hebraice testimonia darem, si id necessitas exposceret.

Premissa hujusmodi lege, nunquam satis horrenda, quis non laudet economiam hodiernæ disciplinæ, qua facilis redditur dispensationis assecutio circa mentem uxoris, si convivere velit cum marito sine Creatoris contumelia? Quis non extollat monitum illud à prudentia dictatum, ne faciles se exhibeant Prælati in concedenda cohabitatione viri cum uxore infideli? Unum forte medium superesset: cogere videlicet mulierem ad ejurandam legem Rabbinicam, ei interdicens quamvis cum Judæis ceteris communicationem, accessum ad Synagogas, & quemcumque actum, qui inter Legis Mosaicæ limites non continetur. Verum cum huic durissimæ conditioni impossibile sit, ut hodiernus Judæus subscribat, hinc optima est consuetudo dispensandi super interpellatione.

Concludo igitur, de dispensationem, & difficultatem assensus ad cohabitandum nihil obstat justæ pœnæ à legibus impositæ mulieri, quæ virum suum relinquat. Hujusce enim tum dispensationis, tum difficultatis causa est ipsa uxor, quæ presumitur nunquam cohabitatura sine Creatoris contumelia. Hæc certius est, uxor infidelis in facto, & in jure. Factum ex praxi constat: jus ex ipsa Judæorum doctrina. Hinc certius est, uxorem infidelem, si converti noverit, post conversionem mariti, omne jus amittere ad dotis, & ante nuptias donationum repetitionem.

Ceterum, si quæ contra hanc conclusionem extet definitio, omnia pro non dictis haberi volo.

(Vide verb. Dos, Divortium, Hebræus, &c.) NO-